50631/P 82436

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE DIÆTA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu; et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES TALIAFERRO,

VIRGINIENSIS,

SOCIET. REG. PHYSIC. EDIN. SOC. HON.

" *Confer sudantes, ructantes, refertos epulis, tanquam opi-*
" *mos boves: tum intelliges, qui voluptatem maximè sequan-*
" *tur, eos minimè consequi; jucunditatemque victûs esse in*
" *desiderio, non in satietate.*"

CICERON. *Tuscul. Quæst.* lib. v. cap. XXXIV.

Ad diem 12. Septembris, horâ locoque ſolitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCC XCVIII.

PRÆCEPTORI,

VIRO

OPTIMO ERUDITISSIMOQUE,

BENJAMINI RUSH, M. D.

MEDICINÆ THEORETICÆ

CLINICÆQUE,

IN

ACADEMIA PHILADELPHIENSI,

PROFESSORI,

QUI

INGENII

CLARITUDINE

ORBEM

IMPLEVIT,

HANC DISPUTATIONEM

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. CQUE

JOANNES TALIAFERRO.

AVUNCULO,

JOANNI BANKHEAD, A. M.

FAMILIARIBUS

CARO ACCEPTOQUE,

IN

PORTU REGIO

VIRGINIENSI

MEDICINAM

PERITISSIME PROSPERRIMEQUE

FACIENTI,

QUI

ILLUM

PRIMIS MEDICINÆ ELEMENTIS

IMBUIT,

HOC

PERTENUE GRATI ANIMI

MONIMENTUM

OFFERT

JOANNES TALIAFERRO.

FRATRI CARISSIMO

AMANTISSIMOQUE,

GULIELMO TALIAFERRO

DE

BLENHEIM,

ARMIGERO,

HOC

EXIGUUM

FRATERNI AMORIS

TESTIMONIUM

LITERIS

CONSIGNAT

JOANNES TALIAFERRO.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

D I Æ T A.

§ I. OMNES res, quibus hominum saluti consulitur, quibus nimirum aut morbi arcentur, aut præsentes sanantur, aut vires conservantur et reficiuntur, vel ad regimen pertinent vel ad medicinam. Regiminis providentiâ, medicinæ auxilio, magis utimur. Illa nobis cum sapientibus, hoc cum improvidis, commune est.

II. Quò nobis satius videtur, regiminis, quàm medicinæ opibus, sanitatem quærere; et quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est, valetudinem tum animi tum corporis quàm maximè prosperam atque constantem efficere. Nam valetudo, quam dat medicina, fluxa plerumque atque fragilis est; quam regimen, constantior et casui minùs obnoxia.

III. Quum ita (II.) sit, nobis in animo est, non de regimine quidem, quippe cùm latiùs pateat, quàm quod in hujusmodi opusculo tractari possit, sed de diæta, qua nulla regiminis pars ad sanitatem hominum atque incolumitatem magis necessaria est plusque conducit, fusiùs disputare; atque, licèt leviùs forsitan, quàm pro rei magnitudine, exponere, quibus esculentis et potulentis prospera valetudo quàm maximè longa et constans effici possit.

DE

DE
DIÆTA

" *Quæ virtus, et quanta, boni, sit vivere parvo;*
" * * * * * * * * * * * * *
" * * * * * * * * * * * * *
" *Discite, non inter lances, mensasque nitentes,*
" *Cùm stupet insanis acies fulgoribus; et cùm*
" *Acclinis falsis animus meliora recusat:*
" *Verùm hìc impransi mecum disquirite**."

IV. Omnia, quibus hominum, cæterorumque animalium corpora nutriuntur, reficiuntur, atque mutantur, diæta præbet. Hoc itaque genere comprehenduntur omnia, quæcunque sint, quæ ad animalium corpora nutrienda utilia sunt, neque tamen ad medicinam pertinent.

* Vid. Quint. Horat. Flac. *Sermon.* lib. ii. Sat. ii.

nent. Horum verò nonnulla esculenta sunt, et *CIBUS* nominantur, alia potulenta, et *POTUM* constituunt.

PARS

PARS I.

DE CIBO.

" *Accipe nunc, victus tenuis quæ, quantaque secum*
" *Afferat. In primis valeas bene: nam variæ res*
" *Ut noceant homini, credas, memor illius escæ,*
" *Quæ simplex olim tibi sederit. At simul assis*
" *Miscueris elixa, simul conchylia turdis;*
" *Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum*
" *Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis*
" *Cœna desurgat dubia?"* *

V. Esculenta, quibus intelliguntur solidiores materiæ, ex quibus diæta partim constat, parantur, nonnulla ex iis rebus quæ a terra stirpibus continentur; nonulla ex carnibus animalium

* Quint. Horat. Flac. *Sermon.* lib. ii. Sat. ii.

malium quæ terræ munere vivunt; nonnulla, denique, ex squamigero piscium genere, quod vel mari alitur, vel lacubus, vel fluviis.

VI. Ubicunque oculos versamur, non possumus, quin miremur, quantâ ubertate alma parens tum hominibus, tum cæteris animalibus quæ spiritum hauriunt, victum præbeat. Piscibus enim mare scatet: terra animalibus, frugibus, fructibus et radicibus abundat: ipsum quidem pennigerum genus, quod cùm cœlo tum terrâ fruitur, hominum generi victum suppeditat.

CAPUT

CAPUT I.

DE

FRUGIBUS.

" *Fundit humo facilem victum justiſſima tellus* *."

VII. Esculenta ex iis parata, quæ a terra stirpibus continentur, sunt variæ fruges, frumentum, scilicet, fructus, radices, atque olera. De his ordine pauca dicenda sunt.

VIII. *Frumenta,* — comprehendunt omnes fruges, ex quarum farina panis conficitur, triticum, scilicet, hordeum, oryzam, avenam, secale, et siqua similia.

IX. *Fructus,*—sunt fruges, quas arbores et frutices ferunt; atque specie differunt, pro specie

* P. Virgil. Maron. *Georgic.* lib. ii.

specie arborum et fruticum, quibus feruntur. Poma, pyra, pruna, cerasa, mala granata, mala aurea, mala Persica, mala citrea, mala Epirotica, mala cotonea, olivæ, caricæ, fraga, *grossulæ, ribes,* sunt nonnulli ex fructibus, quos homines maximè appetunt et assumunt.

X. *Radices*,—complectuntur bulbacei generis fruges, quarum eæ, præ cæteris, partes, quæ terrâ occuluntur, ad nutriendum utiles unt. Hujusmodi sunt *poma terræ**, rapæ, raphani, pastinacæ, cepæ, et pauca forsitan his consimilia.

XI. *Olera*,—continent eas fruges, quarum folia vel caules hominibus victum suppeditant. Ad hoc genus pertinent brassica, beta, lactuca, apium, porrum, et alia quædam congenera, quæ nominatim enumerare non opus est.

XII.

* Vernaculo sermone, *potatoes* dicta.

XII. Hæ (VIII.—XI.) fruges omnes esculentæ sunt, et, modicâ quantitate assumptæ, præcipuè unà cum carnibus, saluberrimæ. Humores corporis puros conservant; atque omnium optimè obstant, quò minùs nostra corpora ad putredinem proclivia evadant, et in morbos incidant, qui ex hac proclivitate, saltem ex parte, oriuntur. Quinetiam, præ minore stimulandi potentia, quam possident, corpus minùs irritant, neque præmaturam inducunt senectutem. Porrò, quippe cùm minùs nutriant, rarò corpus opimant et implent, aut iis morbis opportunum faciunt, qui obesitate et plenitudine nascuntur.

XIII. Cùm ita (XII.) sit, omnes homines oportet, qui prosperâ valetudine frui, et vitam quàm maximè longam facere, student, modicam frugum copiam, quas regio præbet, et anni tempus desiderat, mensis quotidie imponere. Quippe enim, si a frugibus plùs justo abstinent, et singulis diebus magnam carnium copiam devorant, eorum corpora non solùm nimis im-

plentur, et ad irritandum facilia fiunt, sed etiam apta, quæ inflammationes, sanguinis profusiones, et morbi pestilentes incessant et rapiant.

XIV. Verùm, ut non omne solum easdem fert fruges, sic non, ubique terrarum, eadem frugum copia valetudini humani corporis convenit. In quibusdam enim regionibus, ad prosperam valetudinem permodica quantitas sufficit; in aliis copia multo major, imò quanta pondere carnes multùm excedat, necessaria est.

XV. In calidis regionibus, ubi homines vitam exsudant, ictibus fervidi solis expositi, alma natura humanæ salutis consultrix et provida, magnam vim frugum, præcipuè fructuum dulciculorum acidulorumque, fudit. Hi ubique, sponte in hominum utilitatem nascentes, arbores fruticesque ornant; atque gratum succum, quo corporis calor minuatur, sitis sedetur,

tur, et arceantur morbi pestilentes, qui, datâ occasione, ibi lethales grassantur, carpentibus præbent.

XVI. Calidarum igitur regionum aborigines, naturæ, optimæ sanitatis conservatrici, obedientes, frugibus affatim, carnibus parcè, vivunt; atque sic et prosperâ valetudine, et, ni feris aut ferro aut casu intereant, longâ vitâ fruuntur: dum, qui ex frigidis regionibus in has migrârunt, lucrum aut securitatem aut prædam quærentes, naturæ convenienter non vivunt; sed, dum carnibus, vino atque effrænâ libidine appetitus explent, morbis plectuntur et pereunt.

XVII. Contrà, in frigidis regionibus, quibus frigus vim suam sedantem perpetuò exercet, opus est, ut homines majorem carnium copiam devorent. Namque, quò cor atque arteriæ ad sanguinem in summum ubique corpus diffundendum, caloremque, quanto opus sit, generandum valeant, necessarium est, ut

alimentum

alimentum non solùm nutriat, sed etiam stimulet.

XVIII. Quapropter, EUROPEI, ii imprimis, qui frigidiora loca incolunt, carnium edaciores sunt, quàm qui AFRICAM aut INDIAS inhabitant. Sic natura voluit; sic imperant appetitus; sic hìc, ut alibi, rebus variis, varia quoque utilitas vitæque ratio.

CAPUT

CAPUT II.

DE
CARNIBUS.

"*Præterea veſcimur beſtiis et terrenis, et aquatilibus, et*
"*volatilibus* *."

XIX. Carnes, præ cæteris materiis, quibus vivimus, nutriunt et roborant. Quin ſic a natura conſtituti ſimus, ut carnibus famem, ex parte, expleremus, dubitare non poſſumus, quando conſideramus, quibus, eſcas conficiendi cauſâ, dentibus inſtruamur, hoſque conferimus iis animalium, quæ carnibus famem tolerant.

XX.

* Vid. M. Tul. Ciceron. *De Nat. Deor.* lib. ii, cap. 44.

XX. Fuerunt tamen, non solùm singuli homines, sicut PYTHAGORAS, FRANKLINUS, aliique, sed etiam universæ gentes, qui, religione seu misericordiâ moti, a carnibus, ad tempus, vel ex toto, abstinuerunt. Viri SAMII, qui primus prohibuit admovere animantia mensis, laudes his versibus canit divinus poëta.

" . . . . *Primusque animalia mensis*
" *Arcuit imponi, primus quoque talibus ora*
" *Docta quidem solvit, sed non et credita verbis :*
" *Parcite, mortales, dapibus temerare nefandis*
" *Corpora. Sunt fruges : sunt deducentia ramos*
" *Pondere poma suo, tumidæque in vitibus uvæ :*
" *Sunt herbæ dulces : sunt, quæ mitescere flammâ,*
" *Mollirique queant. nec vobis lacteus humor*
" *Eripitur, nec mella thymi redolentia florem.*
" *Prodiga divitias alimentaque mitia tellus*
" *Suggerit : atque epulas sine cæde et sanguine præbet.*
" *Carne feræ sedant jejunia : nec tamen omnes.*
" *Quippe equus, et pecudes, armentaque gramine vivunt :*
" *At quibus ingenium est immansuetumque ferumque,*
" *ARMENIAE tigres, iracundique leones,*
" *Cumque lupis ursi, dapibus cum sanguine gaudent.*

" *Heu*

"*Heu quantum scelus est, in viscera viscera condi,*
"*Congestoque avidum pinguescere corpore corpus;*
"*Alteriusque animantem animantis vivere leto!*
"*Scilicet in tantis opibus, quas optima matrum*
"*Terra parit, nil te nisi tristia mandere sævo*
"*Vulnera dente juvat, ritus referre* Cyclopum?
"*Nec, nisi perdideris alium, placare voracis*
"*Et malè morati poteris jejunia ventris* *?"

XXI. At plerisque tamen gentibus, tam asperis et incultis, quàm literarum, vocum legumque communione junctis, atque artibus ac moribus emollitis, cibus, ex parte, est caro ferina aut domestica. Ita enimvero generata videntur pecora et armenta, ut humanâ curâ educarentur, humanis usibus inservirent, imò ut corporibus homines alerent et sustentarent.

XXII. Vescimur autem bestiis et terrenis, et volatilibus, partim alendo, partim capiendo.

XXIII.

* Pub. Ovid. Nason. *Metamorph.* lib. xv. Fab. ii.

XXIII. Quid de bubus loquemur? quorum cervices natæ ad jugum, tum vires humerorum et latitudines ad aratra pertrahenda, videntur. Horum non solùm, dum vivunt, labore, sed etiam cæsorum carnibus, ad utilitatem nostram utimur.

XXIV. Oves quoque, hominum gratiâ, generatæ videntur: quid enim aliud afferunt, nisi ut earum villis confectis atque contextis homines vestiantur, ac pinguibus vescantur corporibus? "quæ quidem," ut ait Cicero, "neque ali, neque sustentari, neque ullum fructum edere, ex se, sine cultu hominum et curatione, potuissent *."

XXV. Sus verò quid habet, præter escam? cui quidem, ne putresceret, animam ipsam pro sale datam dicebat esse olim Chrysippus; qua pecude,

* Vid. Marc. Tul. Ciceron. *De Natura Deorum*, lib. ii. cap. 63.

pecude, quòd est ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura foecundius.

XXVI. Quinetiam, non acutissimis modò sensibus ac sagacitate canum, sed retibus quoque, sagittis, jaculis, aliisque missilibus ac venatoriis instrumentis, feras nanciscuntur homines, ut carnibus vescantur. Asperis et incultis gentibus, sicuti fuerunt GÆTULI et LIBYES, qui AFRICAM initio habuerunt *, et sicuti gentes, quæ, vel nostris temporibus, interiores AFRICÆ et AMERICÆ regiones habent, cibus, utì pecoribus, magna ex parte, caro ferina est quam venando parant, et humi pabulum. Neque, profectò, gentes, quæ emollitæ moribus, institutis et humanioribus literis sint, cessant, cùm ventriculi tum animi causâ, venari.

XXVII. Quid multitudinem suavitatemque avium dicam, quæ non capiuntur, nisi ho-

* Vid. CAI. SALLUST. CRISP. *De Bell. Jugurthin.* cap. xviii.

minum ratione et solertiâ, atque ex quibus captis tanta percipitur voluptas? Harum jucundus non gustus solùm, sed odor etiam, dubitationem non affert, quin hominibus ad vescendum natura donaverit.

XXVIII. Carnes bestiarum, tam terrenarum quàm volatilium, ad concoquendum faciliores sunt, quàm fruges, quas prodiga tellus, in humanos usus, suggerit. Hinc plurimi ventriculo invalidi, qui fruges, qualescunque sint, ægrè concoquunt, atque ex his assumptis, cruditatibus, ructu, ventriculi inflatione ardore et dolore, afficiuntur, carnes facilè concoquunt, eas præcipuè adultorum animalium.

XXIX. Hoc verò haudquaquam perpetuum est; cùm præsertim homines vix notis oris magis differant, quàm alimentum concoquendi viribus. Tanta enimvero est hæc differentia, ut, præ quadam *succi gastrici* proprietate, nondum satìs cognitâ, nonnulli carnes faciliùs

faciliùs concoquant, alii fruges; hi carnes impuberum animalium, illi puberum; quidam recentes carnes, quidam, ut ait CULLENUS*, putrescentes.

XXX. At plerumque tamen carnes faciliùs concoquuntur, quàm fruges. Non solùm enim ventriculum magis stimulant, et hujus ideo motibus cum *succo gastrico* citiùs commiscentur; sed etiam propriâ naturâ solubiliores sunt, et minùs aptæ, quæ in tenaces postea massulas concrescant.

XXXI. Ut carnes ad concoquendum faciliores sunt, quàm fruges, ita magis nutriunt concoctæ. Ita esse, satìs demonstravit experientia. Qui enim homines carnibus, maxima ex parte, vescuntur, ii, copiâ eâdem, plùs nutriuntur et seriùs esuriunt, quàm qui, maxima ex parte, terræ frugibus. Sed ne hoc quidem perpetuum videtur. ANGLI carnibus validi sunt:

* Vid. CULLEN. *Treatise on the Materia Medica.*

sunt: Scoti, contrà, et Hiberni, robustum sanè, ut in terris est, atque torosum genus hominum, ostendunt, quid pace belloque homines, qui frugibus, maxima ex parte, vivunt, vigore et virtute possint efficere.

XXXII. Non omnes carnes æquè concoctu faciles sunt. Carnes enim impuberum animalium, licèt minor iis fibrarum cohæsio sit, quàm iis puberum, tamen, præ majore glutinis copia quam continent, et minore ventriculum stimulandi facultate qua pollent, seriùs cum *succo gastrico* commiscentur, seriùsque eodem solvuntur. Porrò, cæteris paribus, carnes bestiarum, quæ frugibus, ex toto, vivunt, ad concoquendum faciliores compertæ sunt, quàm earum, quæ, ex parte, vel ex toto, carnibus. Quinetiam, specie eâdem, mares, nisi castrati primâ ætate sint, carnes concoctu difficiliores præbent; faciliores, contrà, fœminæ. Sexu, denique, et specie iisdem, quo pinguiores bestiæ sunt, dummodo pinguedo a carnosis fibris separata

separata in massulas non colligatur, eo plerumque earum carnes concoctu faciliores *.

XXXIII. Carnes neque omni ætati, neque omni corporis conditioni, neque omnibus orbis terrarum regionibus, æquè conveniunt. Res igitur poscere videtur, ut, de hac rei nostræ parte, hìc loci, fusiùs dicamus.

XXXIV. Infantili ætate, utpote qua, præ naturali imbecillitate, humano corpori insint magna irritabilitas et acutissimus sensus, carnes, quippe cùm nimis stimulent, vel ex toto circumcidendæ, per aliquot annos, sunt, vel parcissimè assumendæ. Firmiore verò ætate, quando, propter majorem vigorem, corpus minùs aptum est, quod stimulantibus irritetur, modicus carnium usus minùs nocet, imò necessarius est, ut homo ad munera validus sit.

XXXV.

* Vid. Cullen. *Treatise on the Materia Medica*, vol. i. par. i. cap. ii.

XXXV. 1. Omni, porrò, ætate, conditiones corporis sunt, quarum, in carnium usu, ratio habenda est. Res enimvero hæc, utcunque neglecta, utilissima tamen, neque diu impunè aspernanda. Validis enim, atque exercitatione aut labore firmatis, qui, statutis temporibus, cibos cupienter appetunt, et brevi et bene concoquunt assumptos, carnes firmiores valentioresque maximè idoneæ sunt.

2. At constitutione infirmis, seu luxu, ignaviâ morbisve debilitatis, hujusmodi carnibus impunè vesci non licet. Nam, præ stimulandi facultate, qua pollent, irritabilitatem jam nimiam augent; atque adeò corpus non firmant, ut febre, quam movent, reliquas vires labefactent et dissipent.

3. Considerandum igitur in usu carnium est, non solùm quid quantumque quisque requirat, ut alatur et vigeat; sed etiam, quid quantumque possit tutò adhibere, et bene concoquere:

coquere: semper enim infirmis, plerumque etiam validis, cauta temperantia prodest, nocet inconsiderata indulgentia.

XXXVI. 1. Denique, non, ubique terrarum, eandem carnium copiam mensis quotidie imponere, nedum tutò devorare, licet. Pro enim gradu caloris et frigoris, quo quæque regio est, carnium usui fines natura, provida utilitatum, posuit, ultra quos secundâ diu valetudine frui non conceditur. Caveant igitur, quotquot æstuosa, intra metas solstitiales, loca incolunt, ne cibis, quorum modicum tantùm usum permisit natura, sibi nimis indulgeant: quippe enim, ni tum hujusmodi ciborum modici sint, tum temperantes in cæteris omnibus vitæ partibus, morbi periculosi, neque rarò lethales, temerariæ indulgentiæ superveniunt.

2. Incolis, contrà, temperatiorum et frigidarum regionum permissum a natura est, ut

majorem

majorem carnium copiam impunè, imò tutò, assumant. Præ enim habitu cœli, sub quo vivunt, et duriore labore quem subire coguntur, ut solum subigant atque vestitus et domos sibi parent, quibus a fame ac frigore semetipsos tutent; opus est, ut majorem valentioris cibi numerum, singulis ferme diebus, devorent; neque possunt, sine incommodo et periculo, a carnibus, ex toto, abstinere. Sic voluit natura; et nemini fas est, ejus dicta diu impunè spernere aut negligere.

CAPUT III.

DE

PISCATU.

"*Si bene qui cœnat, bene vivit; lucet, eamus*
"*Quò ducit gula; piscemur**;

XXXVII. De hac rei nostræ parte, multis dicere, nobis non consilium est. Nusquam enim gentium, homines piscatu solo vivunt, nisi aliûs alimenti inopia urgeat. Multi quidem hominum piscatum identidem desiderant; pauci verò sunt, quin, si aliam escam possint parare, piscatum mensis sæpe impositum fastidiant et aversentur.

* Vid. Q. Horat. Flac. *Epist.* lib. ii. ep. vi.

XXXVIII. Piscium species, quas devorare solent homines, adeò numerosæ sunt, ut eas nominatim recensere, nobis neque vacet, neque lubeat. Loquacem sanè delassaret FABIUM dicere, quot quàmque raros pisces mari, lacubus, fluviisque helluones exquirant, quibus gulam saturent.

XXXIX. Omnium ferme piscium commune est, quòd carnibus concoctu difficiliores sunt. Magna enim pars oleo abundat, quod impedit, quò minùs cum ventriculi succo facilè commisceatur. Præ glutinosa quoque natura, piscatus alvum parùm stimulat, et insuper aptus est, qui hìc in massulas concrescat, quales ægrè ab iis, quibus est tarda alvus, dejiciantur.

XL. Commune quoque piscium generis est, quòd, quanquam diversæ species inter se densitate substantiæ differunt, licèt non adeò atque diversæ species quadrupedum, avium, et quasi ancipitum in terra et aqua viventium; tamen

tamen pisces ejusdem speciei, quamvis longævi, minùs densitate variant diversis ætatibus, quàm animalia terrestria et volatilia *. Specie igitur eâdem, pisces quantæcunque quantulæve ætatis sint, æquè plerumque faciles concoctu sunt.

XLI. Quidam pisces sunt, qui, dum ventriculo concoquuntur, corpus peculiari modo irritant; atque non solùm febrem modò, modò febriculam movent, sed etiam efficiunt, ut summum corpus nonnunquam in parte tantùm, aliàs ubique, papulis efflorescat. Tam febris verò febriculave, tam papulæ quibus summum corpus variatur, plerumque fugaces sunt: ferè enim evanescunt, simul ut ventriculus pisces per os reddiderit, vel concoctos demiserit in summum intestinum †.

XLII.

* Vid. Cullen. *Treatise on the Materia Medica.* part i. cap. ii. § 4.

† Vid. Cullen. *ejusd. oper.* eund. loc.

XLII. Quemadmodum verò pisces quidam sic (XLI.) febrem et papulas moveant; utrùm scilicet cutem afficiant ope consensûs, qui, nervorum interventu, huic intercedit cum ventriculo, an acri quadam materiâ, quam per vasa bibula impertiunt sanguini, quæque arteriis ad cutem, præ cæteris corporis partibus, delata, ibi irritationem et papulas movet; nondum satìs intelligitur, nedum inter medicos convenit.

XLIII. Nequedum certò compertum est, piscatus, necne, alimentum sit, quod æquè aptum est, ac carnes animalium calido sanguine insignium, quod exhalantibus summi corporis arteriis dissipetur. Ostrea quidem, quibus cum piscibus multorum communitas est, eâ naturâ esse, ut ea summi corporis arteriæ exhalantes ægrè perspirent, KEILLIUS opinatus est. Atque ipsum piscatum minùs aptum esse, quod summo corpore exhaletur, ex captis experimentis inductus CULLENUS est, ut crede-

ret.

ret *. Confitendum verò est, ita sit, necne, etiamnum dubium esse ; atque rem, utì ait locuples hic auctor, imprimis dignam, quæ experiendo attentiùs exploretur.

XLIV. Inter plerosque consentitur, piscatum haudquaquam, æquè ac carnes, hominum corpora nutrire. Hallerus seipsum piscatu vivendo infirmari compertus est ; atque dicit, eos, quibus, statutis anni temporibus, carnes, ex toto, religio interdicit, solo piscatu et terræ frugibus vescendo invalidos fieri.

XLV. Alii verò, sicuti Cullenus et Gregorius, idonei sanè auctores, piscatu, necne, multo minùs, quàm carnibus, homines nutriantur, dubium esse idcirco putant ; quòd haud raró religiosi, qui, certis temporibus, a carnibus omnino abstinent, non debilitantur ; quòdque

* Vid. Cullen. *ejusd. oper.* loc. suprà citat.

que piscatores, qui piscatu multùm victitant, validi et robusti sunt. Quis unguentatus Edinensis piscatorias Noviportus uxorias conviciis lacescere audet?

XLVI. Ob causas, quas (xxxix.) memoravimus, piscatus parùm idoneus iis cibus est, qui, ventriculo infirmi, ægrè concoquunt, quibusque alvus pigra atque dura est. Neque profectò idoneus videtur, quo sustententur vires eorum, qui longum et durum laborem tolerare coguntur.

XLVII Cùm ita (xlvi.) sit, concludendum est, piscatum, quamvis identidem gratum et salubrem victum præbeat, et, in mediterraneis præcipuè regionibus, magno pretio paretur, non tamen cibum esse, quo solo homines, præcipuè qui gravem laborem tolerant, et ventriculo imbecilli sunt, possint sine incommodo diu vivere.

XLVIII.

XLVIII. De esculentis satìs, putamus, dictum est. Nunc igitur ad potulenta, quæ alteram diætæ partem constituunt, transeundum.

PARS

PARS II.

DE

POTU.

" *Augescunt corpora potu* *."

XLIX. Necessarium videtur, non solùm ut, in ventriculo, cibi cum *succo gastrico* faciliùs commisceantur, sed etiam ut rependantur varii humores, qui a circumfluo sanguine variis exitibus excernantur, potulenta in ventriculum subinde assumere.

L. Ne hoc (XLIX.) negligamus, natura satìs præcavet. Monemur enim et incitamur siti, importuno sanè appetitu, omnibus noto, quemque

* Vid. Cai. Plin. Secund. *Hist. Nat.* lib. xi. cap. liv.

que hìc exponamus non opus est, ad liquida ingerenda, qualia et ipsam expleant, et novis dissipatos reparent humoribus.

LI. Hunc (L.) in finem, varii humores bibuntur, quorum nonnulli, quippe cùm sine artificio hominum suppeditentur, *NATIVI* nominari possint; alii, quippe quos ars sola faciat et præbeat, *ARTIFICIOSI*, seu *FACTITII*. De utrisque ordine perpauca, hìc loci, dicenda sunt.

CAPUT I.

DE

POTULENTIS NATIVIS.

"——————————— *montibus altis*
" *Levis crepante lympha desilit pede.*
" *Illic injussæ veniunt ad mulctra capellæ,*
" *Refertque tenta grex amicus ubera**.

LII. Potus nativi sunt aqua dulcis, et lac diversorum animalium, quæ mansuefecit hominum cultus, et ad domesticos et rusticos usus condocefecit solertia.

LIII. *Aqua.*—Dulcis aqua, quam ad sitim sedandam bibere solemus, vel pluvialis est, vel fluvialis, vel fontana.

LIV.

* Vid. Q. Horat. Flac. *Epod.* Od. xvi.

LIV. *Pluvialis*, quippe quæ naturalem jam distillationem subiverit, omnibusque extraneis separata sit, longè purissima est, atque itidem optima, qua sitis expleatur. Si hanc solam, pro potu communi, homines biberent, haudquaquam mihi dubium est, quin a multis morbis immunes essent, quibus, meracis liquoribus deutendo, obnoxii sunt. Calidis autem regionibus hujusmodi aquæ penuria est, nisi certis anni temporibus; quibus in receptacula colligere eâ quantitate, quæ ad usum reliqui anni sit necessaria, nemo, nisi opulentissimus quisque, potest. Atque etiam in temperatioribus et frigidis, ubi hujus aquæ plus satìs est, nemini operæ pretium videtur, in receptacula colligere, unde in domesticos usus promatur; cùm præsertim aqua ex fluviis, vel lacubus, vel fontibus perennibus, faciliùs peti possit.

LV. *Fluvialis* aqua pluviali idcirco impurior est; quòd, cùm in lacubus in quos colligitur, tum in alveis quibus hinc fluit, extraneis

multis,

multis, quæ solverit, non metallicis modò, sed putrescentibus quoque iis, quæ, haud ita pridem, vel viva erant, vel a terra stirpibus continebantur, inquinata est. Verùm plerumque tamen salubris est, et tum ad sitim extinguendam apta, tum qua cibi subjecto igne concoquantur.

LVI. *Fontana* pluviali puritate proxima est. Quanquam enim, haud secùs atque fluvialis, solutis metallicis et aliis terrenis inquinatur, tamen non, æquè atque hæc, putrescentibus terrâ editis corrumpitur. Plerumque salubris est, haud raro medicinalis.

LVII. *Lac*—quoque ad nativum potulentorum genus pertinet. Nullus hoc humor dulcior est; mitior nullus; nullus magis nutrit; nullus, denique, palato gratior aut corpori salubrior. Hunc, protinus ferè ut nati, mirando instinctu appetimus, atque ex mammis maternis, Naturâ solâ docente, solertissimè sugimus. Hic

Hic nobis, per primos novem duodecimve vitæ menses, solum desiderium est, sola voluptas. Appetitu solicitante, quàm cupienter papillam osculo apprehendimus, tepidumque hinc lac exsugimus, alterâ interea mammam maniculâ palpantes! Appetitu expleto læti, et securi gremio contuentis matris, sinum, venis arteriisque pulcherrimè variatum, iterum mirantes iterumque lustramus, oculos interea in matris vultum subinde obliquantes, ipsamque risu cognoscentes.

LVIII. Post novem, decem, duodecimve menses, a lacte materno depelluntur infantes, atque eo aluntur viliorum animalium. Aliis autem lac vaccinum antefertur; quippe quia non solùm bene nutrit, sed etiam eâ copiâ, quæ ad quotidianos usus necessaria sit, facilè parari potest. Ventriculis eorum, qui prosperâ valetudine fruuntur, bene convenit, dummodo non simul distillatos aut fermentatos liquores ingurgitent. Lacteum igitur potum

qui

qui assumunt, eos ab omni alio, nisi aqueo, abstinere oportet. Multigeni enim potus, qualesque commixti in ventriculo se invicem corrumpunt, difficiles concoctu sunt, neque profectò conferunt ad firmam valetudinem.

LIX. Vaccinum tamen neutiquam solum lac est, præter maternum, quod hominum generi salubre est. Morbis enim longis, imprimis phthisi marcentibus, itemque ex longis gravibusque morbis convalescentibus, et lac caprinum, et equinum, et asininum, mirum interdum in modum, prodesse existimata sunt.

LX. Nonnulli autem sunt homines, qui, saltem postquam pubuerint, lacte et lactentibus, sine incommodo, vivere nequeunt. Hæc enim, quippe quæ parùm stimulent, alvum pigram et duram faciunt; et sic committunt haud rarò, ut ex stagnante induratoque stercore dolores colici superveniant. Quibus igitur

tur alvus sic torpida et tarda est, eos oportet a lacte lactentibusque, ferè ex toto, abstinere. His enim cerevisia, quippe quæ alvum plerumque solvat, potus salubrior est, ideoque, si parari possit, anteferenda.

LXI. Quòd si nihil prohibet, lacteus potus est cæteris omnibus anteferendus; maximè verò infantili et puerili ætate, ubi corpus tenerum est et irritabile. Quinetiam, senio confectis, quibus omnes ferè vires effugerunt, lac haud raró potus solus idoneus est, lactentia solum nutrimentum.

CAPUT

CAPUT II.

DE

POTULENTIS FACTITIIS.

"*Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem crepat?*
"*Quis non te potiùs,* Bacche *pater, teque decens* Venus?
"*At, ne quis modici transiliat munera* Liberi,
"Centaurea *monet cum* Lapithis *rixa super mero*
"*Debellata* *."

LXII. Hæc rei nostræ pars adeò patet, ut de ea, pro magnitudine, satìs fusè dicendi nobis, in hujusmodi opusculo, opportunitas desit. Quapropter,

* Vid. Q. Horat. Flac. *Carm.* lib. i. Od. xviii.

Quapropter, statuimus paucâ tantùm, ut quæque mentione dignissima videntur, perscribere.

LXIII. *Factitii* liquores, quibus, pro potu, utimur, vel *distillati* appellantur vel *fermentati*, pro opere, quo eos paramus, at quod tamen hìc explicare a re nostra alienum esset.

LXIV. His enimvero (lxiii.) utrisque multa communia sunt. Utrique, licèt illi acriùs, non nervosum modò genus, sed cor quoque et arterias, stimulant. Utrique, dum nimiâ copiâ assumantur, homines ebrios reddunt, sensus torpefaciunt, somnum conciliant. Utrique, si immodico eorum usui diu indulgeatur, importunissimam sanè cupiditatem, vixque, imò sæpe ne vix quidem, temperandam, inducunt; quanta enimvero haud rarò committit,

ut homo res suas prorsùs negligat, et ipse lentâ ruinâ dilabatur.

LXV. Fermentati tamen liquores, si in eorum usu modus adhibeatur, salubres sunt, et haud scio annon hominibus in frequentes urbes congregatis, contra pestilentes morbos, efficaces. Modicus eorum usus cùm rariorem forsitan tum minùs lethalem, apud TURCOS, pestem, qua nulla iis tristior ERINNYS, redderet; et valetudini minùs noceret, quàm opium, quo se quotidie stupefaciunt.

LXVI. At non omnes pariter æqualiterque salubres fermentati liquores sunt. Nam meraciores, utì ultra modum assumpti, plurimùm nocent, ita minimè necessarii; dilutiores contrà, utì rariùs supra modum adhibentur, ita ii sunt, qui in humanos usus sæpius requiruntur.

LXVII. Cerevisiæ ex fermentatis liquoribus, nisi vina excipias dilutiora, quibus Galli sitim exstinguunt, tenuissimi sunt, atque longè utilissimi et saluberrimi. Modicus earum usus, unà cum cibis, sitim sedat, concoctionem adjuvat, animum exhilarat, secreta excretaque citat; neque tamen vires, quæ sanguinem promovent, nimis incitat, aut sensus torpidos facit. Quinetiam, cerevisiæ, si modò ritè parentur, haud parùm obstant, ne humores ad putredinem justo procliviores fiant, morbisque pestilentibus corpora facilè corripiantur.

LXVIII. Ipsa item vina, quibus intelligimus fermentatos liquores, qui ex uvis parantur, et qui, nisi dilutiores sint, ad stimulandum efficaces sunt, non solùm, dummodo intra modum assumantur neque nimis sæpe, validis et firmis prosunt, sed etiam infirmis haud rarò et debilibus amissas et desideratas vires

vires restituunt. Quum verò magno pretio parentur, duntaxat opulentioribus permittitur iis quotidie mensas ornare. Apud multas enim gentes, tanta portoria, vectigalia et tributa singulis rebus imponuntur, quibus aluntur et vestiuntur homines, quibusque, utilitatis aut animi causâ, utuntur; ut pauperibus desint facultates, quibus sibi ægrotis carisque familiis vinum suppeditent. Multi igitur, eheu durum! quibus sunt res angustæ domi, febribus aliisque morbis absumuntur, quos modicus vini usus morti eriperet.

LXIX. Verùm haud magis prodest temperatus vini usus, quàm nimius nocet. Sobrii mente quàm vegeti sunt; corpore quàm validi; gressu quàm firmi; quàm rara iis invaletudo est; quàmque tarda iis obrepit senectus? Vinolenti, contrà, nervos infirmi, musculos tremuli, pedibus ægri, ventriculo languidi, ingenio imbecilles, animos demissi, ante diem senescunt;

nescunt; et vel miseram trahunt vitam, vel, morbis correpti et confecti, præmaturâ demum morte absumuntur.

"——————— *Edisti satìs, atque bibisti;*
"*Tempus abire tibi est* *."

* Vid. Q. HORAT. FLAC. *Epist.* lib. ii. ep. ii.

FINIS.